



einmal verzehlt 4. III. 1915

Siffert. theol. Vol. 35

~~III-15~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CLIXCCCXIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

MELCHISEDECVM

AB HENR. HVLSIO

MINVS FELICITER

IN HENOCHO DETECTVM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO, ET ELECTO-
RATVS SAXON. HEREDE,

DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ERVEDITORVM EXAMINI

SISTENT

PRAESES

M. JO. HERMANNVS von *Elstwich*
RENDESBERGENSIS,

ET

RESPONDENS

ANDREAS ARGYREVS, Tefchinio-Silefius,
S.S. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR.

AD D. XXVI. APRIL. A. clb l^o CCX.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

MELCHISEDECVM

AB HENR. HUISIO

MINI FELICITER

IN HENOCHE DETECTVM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPIS REGIO ET ELECTO

SALVS SAXON. HERED.

DOMINO

D. FRIDERICO AVGVSTO

ERVDITORVM EXAMINI

SISTENT

PRESSES

M. JO. HERRMANNVS von Bismarck

RENDSEBVRGENSIS

ET

RESPONDENS

ANDREAS ARGYREVS, Theol. - Silesius

et THEOL. ET THEOL. CVCTOR.

MD. D. XXIV APRIL. A. CH. D. CCX.

H. L. G. C.

VITIMBERGAE

LITERIS CHRISTIANI SCHROEDERII, ADAMPTOR.



שׁוֹר

§. I.



Indicatus nuper est Melchisedecus ab insigni, qua *P. Furiaus* eum affecerat, iniuria. Nunc promissi memores in eodem argumento cum *Henrico Hulsio* congre- diemur, visuri, num fortioribus ille vtatur rationibus, quae penitus persuadent, *Melchisedecum* neminem fuisse alium, nisi *Henochum*, quem *DEVS* in terras iterum voluerit reducem, vt Sacerdotis pariter Regisque ibidem munia obiret?

§. II. Proposuit hanc suam sententiam integro quodam Tractatu, qui A. clō Ic c VI Lugduni Batauorum in lucem sub hoc titulo prodiit: *Melchisedecus vna cum Parente ex tenebris, cum Scripturae S. tum fabulosa gentilis, emergens ac caput protollens.* Nec dici potest, quantum sibi inet ipsi placeat *Hulsius*. *Miror*, inquit, c. I. P. 4. *summopere, neminem ex iis, qui circa Melchisedecum occupati fuerunt, haecenus (quantum quidem mihi constat) de Henoch vnaquam cogitasse, qui bene perpensus, nisi vehementer fallor, omnem scrupulum eicere ac eximere potest, atq. plenis lineis & coloribus in se Melchisedecum exhibet.* Verum non est, cur tantopere miretur, quoniam persuasissimus sum, hoc eius inuentum adeo esse comparatum, vt perpetuis laboret principii petitionibus, & ne vlla quidem, quae ad minimum tamen requirebatur, probabilitatis specie sese commendat: vnde, si cuiquam in mentem vnquam venerit, non potuit non fieri, quin statim vt absolum, & omni destitutum fundamento reiceretur. Interim tamen, si quid hario- lari liceat, *Th. Beza* an- fam videtur dedisse *Hulsio*, de *He-*

A 2

nocho

nocho cogitandi, qui *in Not. ad Ebr. VII. 3.* ita de Melchisedeco commentatus est. *Dicitur ἀράτος, habita ratione descriptionis Moysi, qui perinde cum nobis proponit, ac si repente e caelis delapsus esset, et mox eo se recepisset, nulla scilicet ipsius maiorum, nec mortis mentione facta.*

§. III. Num vero aliorum obtinuerit Hulsius assensum? aut num alios sibi habuerit obloquentes? plane me praeterit. Nemo tamen aegre feret, si pro ingenii modulo noua haec & antea nondum audita hypothesis sub examen reuocetur, & iustis rationibus oppugnetur.

§. IV. Quando iam quaeritur: *An sub Melchisedeci nomine latitarit Henochus, nouus post miraculosum in coelos raptum orbis huius incola?* quaesitum negamus. Nam (I) Quis non videt, meram hic ventilari facti quaestionem, quae non nisi e monumentis Historicis, iisdemque probae notae decidenda est. Quomodo vero comparata sunt, quae Hulsius produxit? E Mose sane, historico, quotquot sunt, vetustissimo, quique accurate res tum Henochi, tum Melchisedeci descripsit, ne γερὸν quidem adfert, sed omnia potius ex fabulosa gentilium Theologia deducit. Hanc vero qui probae notae monumentis accenseret, nae illi vt fungus pro cerebro sit, necessum est. Nec minus reliqua, quae exstat, Scriptura in omnibus, quibus Henochi meminit, locis tacet. Et inde est, ut *J. Bernard in des Nouvelles de la Republique des Lettres, A. c10 Ic CCVI. Mens. Sept. p. 338.* hoc super negotio ita mentem suam informet: *Il n'y auroit, en effet, nul inconvénient en cela, si on pouvoit prouuer, qu' Enoch est revenu effectivement sur la Terre du tems d' Abraham; mais c' est ce dont l' Ecriture ne nous dit pas un seul mot.* Quamuis, quod obiter addo, Bernardus mitius de istiusmodi conaminibus iudicat, quam vel ipse

Beza

Beza vellet, cui l.c. a *Spiritus S. scopo aberrare*, dicuntur, qui curiose inquirunt *Melchisedeci genus*. Ad hoc Scripturae silentium accedit (II) diuersa vtriusque denominatione, qualem in vnum cadere indiuiduum, non prius admittimus, quam testimoniis conuincamur irrefragabilibus. Sed hic iterum aqua haeret. *Hulsius* equidem in coelis hanc nominis immutationem factam perhibet. Sed quo id argumento euincit. Gentilium fabulas non curamus, quibus si quis indubitata adhibere fidem vellet, nae is cum ratione insaniret. Quis autem non miraretur, qui factum sit, vt tota Scriptura ne leuissimum quidem huius rei indicium fecerit, quum tamen aliis in locis nominum immutationem consignare, imo, si binomines quidam fuerunt, vtrumque illud indicare nomen soleat? Sic bis de *Esauo Gen. XXXV. 1. 8.* dicitur *ישו הויה ארום* de *Daniele c. I. 7. II. 26. IV. 5. V. 12. XI. 1. & Act. XIII. 9.* de *Saulo Σαυλ* (δὲ ὁ καὶ Παυλ.) In coelis vero hominum mutari nomina non incertum modo, sed plane falsum quis inde iudicaret, quoniam qui in monte *Thabor* apparebant duumiri, iisdem, quibus in terris olim vsi fuerant nominibus vocantur; nec *Lazarus* vterque, tum qui in sinu recubabat *Abrahamae*, tum *Bethaniensis* ille, a *Christo* in vitam restitutus, aliud nomen accepit.

§. V. Et quis (IV) sibi persuaderet, *DEVM* e coelo *Henochum* iterum ablegasse in terras, vt ibi sedem figeret, & Regis, Sacerdotisque munia expleret. Ipse *Hulsius*, quando p. 61. rationes tam subitanei raptus adfert, primo loco hanc collocat: *Quia ambulauit cum DEO, id est, mundi pertaesus coelum semper petiit, hinc Deus, pia anima vt voti compos fieret, effecit.* Minus ergo probabile est, quod *DEVS* hunc aeternitatis, quo eum titulo *Tertullianus* mactat, *candidatum*, e coelo, cuius tanto flagrabat desiderio, beatorumque omnium confor-

tio terras repetere iusserit, vt Cananaeos inter habitaret, extremae impietatis homines, quibus nec religio vlla, nec vera fuit pietas, & quorum improbitas, & idololatria antediluvianorum non aequabat, sed superabat. Denique (IV) si ipsam Mosis relationem inspiciamus, nihil hic extraordinarii de Melchisedeco legimus, quum iisdem sub circumstantiis cum aliis describatur regibus. Et hanc rationem ipse Hulsius subministrat, quando c. l. p. 5. his verbis contra eos, qui hominem fuisse negant, insurgit: *Accensetur & comparatur aliis Regibus humanis vno dictionis filo, ac locutionis modo, quod fieri minime posset, si quidem ad classem aliam pertineret, ac distincta ab iis persona esset.* Sed quis negaret, Henochum per tantimporis spatium coeli incolam ad aliam quam quidem hominum peccatis vanitatisque obnoxiorum classem pertinuisse, & distinctam ab iis personam fuisse, licet non quoad essentiam, tamen quoad coelestes, quas consecutus iam fuerat, *qualitates?* Sic ergo propria caedit vineta, idque eo efficacius, quia ipsemet huic argumento tantum attribuit roboris, vt eius virtute *inuito extorqueri possit*, Melchisedecum hominem fuisse, *si non lubens illud concedat & largiatur.*

§. VI. Vt autem appareat, quibus Hulsius nitatur argumentis, en totam libri structuram! (I) dari sibi postulat, Melchisedecum hominem fuisse, non DEVM *cap. l. p. 5.* quo, vt putat, euicto (II) eum nullo modo ex post diluuianis repetendum pronunciat *p. 6.* quum nemo eorum Abrahamo maior, ita pius & incontaminatus, qualis Sacerdos Dei excelsi esse debet, denique aeternum viuens, *ἀβυσσολόγητος*, & dierum carens initio dici possit. Quoniam vero ex antediluvianis Semum adhuc t. t. superstitem deprehendit (III) & hunc remouet *p. 7.* atque ita (IV) ex antediluvianis non alium, quam Henochum, in quem Melchisedeci quadrent character-

racteres, dari existimat. Huius igitur opinionis tractationem ita instituit, vt primum argumenta pro eadem afferat *cap. I.* dein loca Scripturae, quae Henochi & Melchisedeci meminerunt, explicet & illustret *c. II. — VI.* ipsumque tandem in Theologia gentium fabulosa detectum repraesentet *c. VII. p. 144. ff.* Liquido inde constat, ex duplici probationes Hulsianas fonte, Scripturae altero, altero mythologiae emanasse. Vt vero in ordinem istas, cum confuse & tumultuarie ab eodem propositae sunt, redigamus, priores desumit (I) *ex ipso Melchisedeci Sacerdotio*, quod omnium optime Henochi, quippe qui *Chanuch* fuit, modoque singulari initiatus, competere putat. Illud vero constituisse, ait, non quidem in mactatione & oblatione, sed in intima ad Deum propinquatione iuxta vim nominis eam, qua Filii Davidis Sacerdotes dicuntur; confirmari haec titulo *Sacerdotis DEI* *עֲלֵי־יְהוָה*, quo DEVS a DEO inter Cherubim agente, cui olim in templo & tabernaculo seruebant, distinguatur, & Melchisedeci seruitium ad sublimia coeli loca transferatur *p. 7. 8.* (II) *ex datis ei a Paulo praedicatis.* Istiusmodi esse, quod (α) describatur ceu *μαρτυρῶν* *ἑστῶτι* *ἔξ* *Ἡβρ. VII. 8.* quod praeter *Henochum* nemini aeo isto competierit, vtpote qui primum viuus a DEO in coelum fuerit raptus, (β) quia *Rex iustitiae & Pacis* dicatur, id quod iterum de Henochi, qui ante adeo cum DEO ambulauit, vt ad eum viuus tandem eucheretur, post etiam perfecte sanctus esset, prae reliquis vnice dicendum *p. 10.* (γ) quia nemo nisi is e coelo re-dux initio dierum, patre, matre, genealogia ac successione omnitarere dici potest. Haec vero praedicata cum restrictione quadam ad aetatem postdiluuiani mundi & genus hominum tunc viuentium accipienda, ipsum Paulum indicare, dum, quod antea *Hebr. VII. 3.* ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος absolute dixerat, *v. 6.* ita limitat: ὁ δὲ μὴ γενεαλογῆσθαι ἐξ αὐτῶν, *p. 11.* (III) *Ex conuenientia typi & antitypi.* Sicut enim Christus antitypus de coelo venit *Hebr. VII. 26.*; ita & typus eundem praefigurans, de coelo & ex alto esse debuit, *p. 11.* qui enim filio Dei assimilatus in typo erat, hunc altiorem coelis, & ad hoc pingendum, e coelis necessario adesse oportuit *p. 13.* Denique (IV) *ex ipsa Henochi Historia Gen. V. 24.*, quam ita e fonte reddit: *Quia erat vir DEI, ambulans cum DEO, (& Propheta) hinc sibi sum-*

psit

psit DEVS, vt non exflaret amplius ac videretur in terra. Ideo namque eum sumpsit, vt porro Viri DEI ministerio fungeretur, sibi que ministraret p. 11. neque alium in sinera fumere sibi Ministrum, qua Ministrum Deus potuit p. 62. & quid corpus visibile ministerio terrestri aptum retinuisset, si nunquam mitti in terras ac redire debuisset p. 11. id quod p. 28. Mosis & Eliae stabilire exemplis conatur. Haec prima est argumentorum classis, quae ex Iudaeorum pariter Gentiliumque fabulis probat, mox ad Melchib, mox ad Molochum, mox denique ad Metatron pronocans. Quibus rem adeo confectam credit, vt p. 21. non vereatur scribere: *Nolo cumulare argumenta in re, quae satis liquere mihi videtur.*

§. VII. Quod ad alteram argumentorum classem attinet, nulla ferme in Mythologia occurrit fabula, quam non ad Henochum & Melchisedecum detorquet. Citat eum in finem Annacum p. 148. Inachum p. 165. Thammum p. 169. Atlantem p. 174. Zoroastrem p. 178. Dionysium p. 182. Neptunum p. 182. Tithonum p. 190. Aethalidem p. 192. Tantalum p. 194. Sisyphum p. 194. Minoem p. 205. Phoenicem p. 207. Bacchum p. 210. Mercurium p. 213. atque alios.

§. VIII. Dum autem hac vice in priores, posterioribus alii tempori reseruatis, inquisituri sumus, ita nos geremus, vt ea modo attingamus, quae in foro Philologico diiudicanda sunt. Basis igitur, cui tota innititur structura, haec est, Melchisedecum ex antediluvianis vnice repetendum esse. Sed ea valde infirma est, nec allatis rationibus quicquam stabilitur. Prima aperte principium petit. Altera ipso Hulsio iudice falsa est, quod Genesi teste, haec sunt eius verba p. 19. *adhuc tunc vbiuis ac vel in Egypto fuerunt, quibuscum Deus commercium coluit; sicque non video, qui adfirmari possit, nullos inter post diluvianos fuisse adeo pios & incontaminatos, vt Sacerdotes DEI excelsi existerent potuerint. Reliquae ita comparatae sunt, vt, si stricte absoluteque sumantur, non minus de antediluviano, quam postdiluviano accipi possint.*

§. IX. Quod ad argumenta spectat primum desumebatur a Sacerdotio, quod ideo soli competere Henochi iudicat, quia is vi nominis est קֹהֵן sine singulari modo initiatus. Aliam equidem
philo

Philo adfert denominationis rationem, dum Henochum interpretatur $\kappa\epsilon\chi\alpha\gamma\iota\sigma\tau\alpha\upsilon\epsilon\upsilon\omicron\nu$ vel $\chi\epsilon\gamma\epsilon\sigma\tau\alpha$. At non est, ut eius hoc locorum nos tueamur auctoritate: cum inter eruditos constet, quantus ille in lingua Hebraea hospes fuerit. *Capellus* Philonem & Iosephum *infantes* in ea lingua pronunciat, qui, *Huetio Dem. Evang. p. 419.* teste, *suis scriptioibus Hebraicae linguae rudes se praebuerunt;* imo *I. Scaliger Elench. Trihaer. N. Serrar. c. XVIII. p. m. 296.* Philonem *Hebraismi* adeo imperitum dicit, *ut dubitet, an etiam legere, sciuerit Hebraice.* Exemplum luculentum hic habemus, ubi vel ex summa quadam $\alpha\beta\lambda\epsilon\psi\iota\alpha$, vel imperitia pro הַנֶּחֱמָה legit הַנֶּחֱמָה , quod *gnatio sum* denotat. Damus ergo, *Henochum* vi nominis *consecratum* siue *initiatum* designare, a uerbo הִקְדִּישׁ , quod de templi usurpatur consecratione 2. *Par. VII. 5.* Sed quid inde sequitur? Monstrum foret consecutionis: Quicumque est singulari modo initiatus, ille est Melchisedecus Sacerdos DEI altissimi. Nam quamuis ille quidem tanquam Sacerdos DEI altissimi procul dubio initiatus, & ad officium, quod gerebat, consecratus fuit, non tamen recte colligo, quod omnes illi, qui uel a consecrando nomen sortiti, uel singulari etiam modo initiati fuerunt, Melchisedeci personam sustinuerint. Quot enim hoc pacto non forent Melchisedeci? Denique hoc nomen Enocho impositum sine dubio a Parentibus fuit. At num illis de futuro in coelos filioli raptu, & subsecuturo post aliquot secula e coelis in terras reditu aliquid constiterit, unde probabitur? Certius est, hos boni ominis causa filium suum, quem iam in utero adhuc materno delitescentem DEO forsitan eiusque ministerio consecrarant, eo nomine appellasse, ut memoriale filio esset, se DEO esse dicatum, adeoque magis inualescente magisque hominum malitia impigre suo se defungi debere officio.

§. X. Nec plus effecit *Hulfius*, quum talem hic intelligendum suadet Sacerdotem, cuius ministerium non quidem in *maestatione* constat, sed qui *intima ad DEVM propinquatione gaudeat*, eodem, quo *Dauidis filii* 2. *Sam. VIII. 18.* כַּהֲנִיִּים vocantur, sensu. Nam (α) falsum est, non maestasse Melchisedecum, uti post alios demonstrat *G. Outramus de Sacrif. L. II. c. I. p. m. 288.* Fuit enim Rex & Sacerdos simul. Hinc cum omnia, quae Regi competunt, in subditos exercuisse censendus sit, quis dubitabit, quin pari etiam modo ea executus fuerit, quae ad Sacerdotis munia pertinebant?

B

Hacc

Haec vero non in meris tantum benedictionibus, sed & pro ratione illorum temporum mactationibus constituisse, ex *Gen. VIII. 20.* adprime liquet. Nec id inficiari quidem audeat vel potest ipse *Hulsius*, quando sui quasi oblitus *p. 40.* nostrae adstipulatur sententiae: *Male*, inquit, *Orientalis volunt obtulisse tantum in cruenta.* Quod *p. 109.* repetit, & ratione adiecta confirmat. (β) Voci כהן aliam adtingit significationem, quam *ex se & sua natura* habet, ac non nisi *consequenter* aliquo saltim modo fulsineri potest. Primus & formalis eius significatus in lingua Arabica superest, in qua, si *Ant. Giggeio* habenda fides, كاهن idem est ac *ministravit*. Ut adeo כהן *κῆρτος* *ministerium* tantum denotet. Quem generalem significatum *Targum* quoque probasse videtur, cum ista *Exod. XXVIII. 1.* *Adduc ad me Aaronem eiusque filios לכהנו לי לשמשא קרמי* ad ministrandum coram me, reddidit. Nec dissentit *R. D. Kimchi* qui כהן per עבדורה, sed cum addito כנוריה i. e. *ministerium cum magnificentia* exponit; ad Scripturae attendens usum, quo nomen istud non nisi personis in summa dignitate constitutis datum legimus. Et inde est, quare כהן nonnunquam idem sit ac *magnificavit*, quale quid ex *Es. LXL. 10.* vbi de sponso dicitur יכהן פאר i. e. explicante *Kimchio* ויגדל פארו כלבושים נאים *magnificabit ornatum suum vestimentis pulchris*, colligitur. Syri quoque & hic nobis pollicem prement, quibus כהן *כוסנה* teste *Glossario Syro Arabico*, *gloriam, maiestatem & excellentiam* denotat. An vero etiam eam, quam *Hulsius* praetendit, & quam procul dubio ex *Spenceri de Ritib. Hebr. Rit. L. I. p. m. 197.* hausit, *propinquitatem inferat ex se & formaliter*, non sine causa dubito. Dico *formaliter*; non enim mihi sermo est de eo, quod *concomitanter & consequenter* significare posset; nam hoc sub conceptu non nego, inferri aliquam simul *propinquitatem*, cum qui alterius admoendus est ministerio, ei plerumque praesens & propinquus esse debeat. Interim cum verba valeant sicut nummi, ille praecise respiciendus est significatus, quem ipse vsus illis imposuit. Locus ex *2. Sam. VIII. 18.* nihil euincit. Varias sunt de eodem sententiae. *Kimchi* eos ita dictos putat ob eximiam, quam habebant Legis peritiam, cui tamen rei describendae *I. Guffetius in Comm. L. E. p. 366.* aptiorem putat titulum

lum *Sophrim*, quam Sacerdotis. Ipse igitur in ea quondam fuit opinione, filios Davidis Sacerdotales functiones revera obiisse: sed & hac repudiata praesupponit, nomen Sacerdotis oblationes respicere, hincque eos dici כהנים quod τὰς מנחות regi oblati praefecti essent, & ita facerent pro populo apud Regem, id quod Sacerdotes apud Deum pro populo, dona ab hoc oblata illi tradendo. Sed vnde probabit *Guffetius* hanc esse formalem כהן significatum? Tota res decidi, me iudice, potest ex *1. Chr. XVIII. 17.* (quem cum *Spencero* *Hulfius* sine dubio respicit) vbi iidem, qui hic dicuntur כהנים audiunt לירי המלך הראשנים, qua phrasi, vt contextus satis arguit, qui de officiis vniciuique demandatis agit, indicatur, quod Davidis filii primi ac proximi a Rege, adeoque supremis omnium admoti conditionibus fuerint. Nam qui in aula primus est a manu Regis, illum oportet muneris & magnificentia & amplitudine alios antecedere. Vnde & LXX. ἀνδραγαθὰς reddidere. Certissimum igitur est כהנים ibi sensu mere politico viros notare principali & politica dignitate conspicuos; qui vero h. l. minus commode obtinet, ut contra *I. Caluinum*, in *Not. Philol. ad b. l. p. 171. Th. Hackspanius* demonstravit. Sed quid si (γ) *Hulfio* concederemus, denotari hic intimioris admissionis hominem? nesci quidem, quod causae suae patrocinaretur, haberet. Nam quis inde statim firmiter ausit concludere de Sacerdote, qui in coelis quondam DEI commercio fuerit gauisus? nonne DEVS in V. T. hominibus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως sese manifestavit? quoties פה אל-פה cum iis locutus & in assumpta specie humana conuersatus fuit?

§. XI. Instat, vocari tamen eum Sacerdotem DEI עליון *vid. §. 6.* Sed (1) quae quae! consequentia, qui est Sacerdos DEI altissimi ille cum DEO quondam in coelis conuersatus est. Nonne omnes veri DEI Sacerdotes, sunt quoque Sacerdotes DEI altissimi? Ergone cum DEO in coelis conuersantur, aut conuersati sunt? Absurda conclusio! quae tamen non nisi ex absurdis inferri poterat praemissis. (2) *Hulfii* ratio, ob quam DEVM hic vocari putat עליון eiusdem est soliditatis, cuius *F. Moncaei*, qui triplicem, qua quaelibet Trinitatis persona se reuelavit, periodum statuens, in *Aaron. Purg. L. II. c. I. p. m. 214.* id nominis de Patris agnitione et cultu explicat. Nam primum Abrahami tempore Deus

nondum inter Cherubim habitabat, qui ergo hoc distingui nomine poterat? *Dein* DEVS inter Cherubim agens non est diuersus a DEO עריון, sed vnus idemque, quid ergo opus distinctione? Rectius *D. Martin & J. Clericus ad b. l. p. 112.* hac voce Deum verum à falsis Cananaeorum Diis discerni iudicant. Cum enim eo tempore tota ferme Cananaea in idolatriam esset effusa, & vero veri DEI cultu reiecto, idola, nescio quae, colenda sibi sumeret; Moses hoc epitheto indicare voluit, Melchisedecum fuisse Sacerdotem non Deastrorum, sed illius Dei, qui omnium altissimus & Deorum Deus existeret. Hoc encomio David quoque verum DEVM maclat. *Pf. XXXIII. 19. & XCVII. 9.* sicut etiam in oppositione Deorum gentilium verus, quem Iudaei adorabant, DEVS ita dicitur. *Conf. Dan. III. 26. c. V. 18. coll. 23. Sir. I. 7. etc.* Haecque appellatio, quae & Gentilibus innotuit ap. *Huet. Dem. Euang. Prop. VII. p. m. 587.* postmodum Iudaeis semper vsitata fuit. Nam excusso Graecorum, qui Diutni Nominis pronunciationem ipsis interdixerant, iugo, hanc computandi rationem inierunt כָּךְ וְכִי לְיוֹחָן כְּהֵן נִרְרָה שְׁהוּא כְּהֵן לְאֵל עֲרִיוֹן בשנת כ"ך וכו' ליוחן כהן נדרה שהוא כהן לאל עריון i.e. anno hoc vel illo Ioannis Sacerdotis summi, qui est Sacerdos DEI altissimi. Integrum ex *Gemara* locum citat *A. Relandus de Num. Samar. Diss. I. p. 16.* Et quem fugit, quam crebro Muhamedani nomen altissimi in ore habeant, vt hoc modo sese associantibus, & idolorum cultoribus opponant. Vid. preces, quas studiose praescripsit *Borhaneddinus Alzernouchi* in *Enchiridio*, quod *A. Relandus* ex *Musaeo Ill. Rosgaardii A. c. 1610* cum eius & *Abr. Eccbellensis* versione edidit, *Secl. XIII. p. 159. f.* Quibus addatur ea, quae in ipso *Alcorano, Sur. II.* exstat DEI descriptio, cuius comma vltimum tanti fieri solet, vt reliquis omnibus *Alcorani* capitibus longe praeraterat, quod *Herbelotius* in *Bibliorb. Orient.* ad tit. *Corsif.* tradit. Ita vero se habet: *Thronus eius tam late patet, quam coeli & terra, quorum omnium conseruatio nequaquam ipsi est oneri. Hic est ille EXCELSVS & magnus.* *A. Relandus P. III. Diss. Misc. Diss. XIII. §. 2. p. 235.* Achatem fisisiisdem verbis inscriptum, vnde quoque non leuiter horum deprehendi aestimum poterit.

§. XII. Reliqua argumenta Theologis plenius accuratiusque consideranda relinquimus, pace tamen eorum, generales quosdam subii-

subiciemus stricturas, ex quibus tota de re indicari poterit. Ad (II) ergo notamus, male *Hulfum* ea, quae Melchisedeco dantur, praedicata *proprie* capere, quum, quod ipse concedit, non nisi *typus* ille Christi fuerit. At *typus* & *antitypus* non se aliter habent, vt *umbra* & *corpus* Col. II. 17. Umbra vero non sustinet denominationem hominis cuiusdam *proprie*, & *ex se*, nisi tantum respectu personae, quam adumbrat, & repraesentat; cum e contra personae ipsimet *proprie* & *ex rei veritate* ea denominatio competat. Pari modo comparatum est cum *typis* & *antitypis*, si quidem de illis res *figurate*, κατὰ τὴν; de his, *proprie* & *secundum veritatem* praedicantur. Verbo: quae in *antitypo vere*, id in *typo* tantum *specietenus*, & vt in imagine continentur.

§. XIII. Eadem ἀλογισία argumentum (III) laborat, in quo male denuo omnimoda *typi* & *antitypi* ὁμοιότης praesupponitur, quum tamen negari nequeat, plus saepe esse in *antitypo*, quam fuit in *typo*, & vice versa. Nam quamvis omnino *aliqualem similitudinem*, nisi omnem *typi* rationem euertere velimus, concedere nos oporteat; ea tamen tanta non est, vt *antitypo* in omni suo modo & circumstantiis similis existat. e. g. cum *Ionas* *typum* daret *mortis* & *resurrectionis Christi*, non opus erat, ut & ipse *mortem* antea obiret, sicut *Christus* *antitypus*. Sed sufficiebat aliqua saltem analogia & similitudo, triduana nempe in ceteri visceribus commoratio.

§. XIV. Quando denique *Henochi* *Historia* ex *Gen. V. 24.* in subsidium vocat, nugas mihi seria in re videtur agere. Ostendat vel vnicum apicem, quo praetensus *Henochi* *reditus* fuerit indicatus. Ne tamen in cassum laborasse, & nihil omnino hic dixisse videatur, pronomen *sibi* verbis *Mosaicis*, quae tamen id prorsus respuunt, interspergit. Verba ita fluunt: בִּי-לִקְחָה אֶתְּוֹ אֱלֹהִים quae si quis verteret, *quoniam sumpsit sibi Deus*, ille studio suam in lingua S. ignorantiam proderet, cum אֶתְּוֹ non *sibi*, sed *ipsum* h. l. denotet, consentiente Paulo, interprete, quotquot sunt, verissimum, qui *Hebr. XI. 5.* ita transtulit: διότι παρέσχεεν αὐτῷ ὁ θεός. Sed supposita versione *Hulfiana*, quis ex eadem statim futuram quandam in terras ablegationem eliceret? cum alii dentur fines, ob quos *Henochum* *DEVS* sibi sumpsisse dici queat. Scilicet vt is liberatus a mundo & impia hominum colluue *secum* viueret,

& cum aliis coeli incolis *suas* in perpetuum decantaret laudes. Sed *quid corpore*, ita instat, *opus erat*? Ardua hic mouetur quaestio, quae ita difficilis determinatu visa fuit *J. Drusio* in pecul. de *Patriarcha Henoch* tract. *Franeg. 1615. 4. ed.* vt quo pedem figeret, plane nesciret. Iungimus huic *J. Clericum*, qui ad h. l. delatus *p. 45.* in haec erumpere verba non veretur: *Mirum est, Moysen rem tantam, si modo immortalem Enochum factum credidit, tam obiter, tamque obscure, quasi eam latere vellet, perstrinxisse.* Forte cum haec ex antiquissimis monumentis exscriberet, nihil praeter ea, quae nobis tradidit, inuenit, quibus aliquid addere religio fuit. Sed quod hi titubanter, *D. Heinsius* aperte eloquitur, cui in *Exerc. S. L. XVI. p. m. 571.* Henochus ad eum modum dicitur *αὐτὸς ὁ ἁγίου*, quo Melchisedecus *ἀπαύτως & ἀμύτως* i. e. *ὄτι ἔχ' εὐχριστοσύνην*, quam rationem *Drusius* quoque plus simplice vice allegat. Licet vero haec sententia calculo Iudaeorum quorundam tueri se possit, rectius tamen, non ex qualibet voce seorsim sumta, sed ex tota, quam Moysi nequit, orationis strue, stylique immutatione Philologi & Theologi celebriores viuum eundem vna cum corpore assumptum a DEO fuisse collegerunt. Praestitit id post multos alios Philologus vere Augustus, *B. A. Pfeifferus* in pec. de *Henocho* *Diff. c. III. & in D. V. ad b. l. p. 51.* Huius vero rei non vna dari posset ratio. Huius tamen minime audiendus, nam si eius valeret sequela, debuisset etiam DEVS Angelos creare corporeos, quia illi pariter in terras aliquando ad homines erant ablegandi.

§. XV. Hisce tandem Iudaeorum subnectit consensum, quem inde elicit, quia *Henochem Metatron* nuncupant, idque nominis per *שְׁרַיָה* *missum*, ac *legatum DEI* exponunt. Sed nondum perorata lis est, quisnam ille sit *Metatron*, quem tantis Iudaei elogiis afficiunt. Sunt ea adeo magnifica, vt in merum, qualis quidem Henochus fuit, hominem nec cadant, nec cadere possint. Quis eum quaeso diceret *שר הפנים* *Principem facierum*? *מלאך* *Angelum Redemptorem*? *מלאך הברית* *Angelum foederis*? *גואר* *Angelum Custodem Israelis*? Haec talia sunt, vt nemini nisi Messiae competant. Et de hac veritate ipsimet *Samaritani* testantur, quando in *Chronico Samaritano, Ad. Relando P. II. Diff. Miscell. Diff. VII. §. X. p. 27.* teste, Messiam *maximum* vocant *Angelum*, & eum quidem, cui Israelitici quoque exercitus custodiam adscribunt.

bunt. Et quomodo ipsum denique nomen יהוה praedicari de *Henocho* poterat, quod tamen per *Gematriam* in *Metatron* Iudaei commutant? Hulfius quidem istud partim ex *Ionathanis Vzielidis* verbis, partim ex hac quoque ratione elidere conatur, quia *confendum minime sit, Iudaeos tam euidenter perspectam cognitionem Trinitatis ac Filii DEI habuisse. Quod si tamen quis ita statuere velit, posse Metatron ex eam ratione Deo & Magistro similem dici, quod figura & typus fuit.* Vid. p. 25. Sed ut $\text{יהוה} \text{ נגוד} \text{ נגוד}$ committamus, quaerere statim ex Hulfio lubet, vnde Iudaeis constare potuerit, Metatron typum esse Filii DEI? Quod si eius haud perspectam habuerint notitiam, quomodo de typo ipsum adumbrantefani quid cogitare potuerunt? Ignoti nulla cupido vel scientia. Vtrum vero Iudaei vetustioribus, & Christi maxime temporibus, Trinitatem, DEIQUE Filium ignorarint, id fortasse maiori probabilitate negabitur, quam asseretur. Demonstrarunt id post *Hauemannum* in *Theognos. Antiquiss. Cudworth, Allixius & L. Marnaccius* in *Prodr. ad Ref. Alc. P. III. c. IX. p. 26. ff. vbi Trinitatem, nec non c. XVII. p. 58. & in ipsa Refut. Alcor. in Sur. V. S. I. p. 216. vbi Messiae Diuinitatem* ex veterum Hebraeorum doctrina comprobant. *Sam. quidem Basnage* nuperissime in *Tr. Histoire des Juifs*, in scripto, *T. III. L. IV. c. III.* argumenta *Cudworthi*, & *cap. XXV. Allixii* refutare conatus est; sed ita, ut Theologorum commeritus sit censuram: quamvis interim & nos *Cudworthi* argumenta parum stringentia iudicemus. Ipsa tamen res negari haud potest, si modo absque praecudiciis ea, quae ex *Targumim* & libro *Sohar* alii collegerunt testimonia, rite perpendantur; quum ea rudera existant fidei, a Iudaeis quondam creditae. *Io. Stephanus* certe *Rittangelius* in *Not. ad libr. ezirab p. 66.* gloriatur, se argumentis Targumicis adeo ad incitas redegerisse Anti-Trinitarium, ut palatim his tandem verbis cedere sibi coactus fuerit: *Nisi verba haec alium admiserint sensum, actum est de vobis.* Quamvis vero ob nimiam, qua *Rittangelius* laborabat, iactantiam parum fidei haec eius relatio inueniat, ita vt *B. Pfeifferus Theol. Iud. Exerc. II. c. VII. Th. V. p. 119.* non dubiter hac in eundem *vti in p. 66. c.:* *An in praesenti relatione fidei litterarum Rittangelius, iudicent cordatiores;* fatendum tamen omnino est, *Rittangelium*, quicquid sit de eius animi vitii, egregie sua defunctum fuisse prouincia in libro citato: cui cum *Anonymus* quidam sub *Irenopolitae* nomine, *Disceptionem de Verbo vel Sermone Dei* opponeret, masculae eundem vindicauit in *Libro a Veritatis, Elbingae 1690, in 4. ed.* qua omnia, in quibus mentio fit יהוה loca a vanis aduersarij sui strophis vindicauit. Haecque *Rittangelii* scripta tanti fecit *Io. Van der Weyen*, vt in Belgio ea recudi fecerit. Quod

Quod tandem ad *Ionathanem* spectat, eius auctoritas tanta non est, ut omnem nobis eximere scrupulum queat. Quanti enim ille faciendus sit, *I. Vosius* de *Translat. LXX. Interpr.* indicat, qui delirius cum scire, scribit, & mentionem facere libri *Misnae, Lombardiae & Constantinopolis*. Quod nec negare audeat *Vossius* aduersarius *A. Hulsius*, qui in *Ambros. Absol. S. Textus Hebraei c. XX. p. 62.* hanc paraphrasin a recentioribus exscriptoribus interpolatam concedit, quam tamen nihilominus *Ionathanis* esse praetendit. Quod postremum vero gratis dicitur, quum *B. Pfeifferus* argumentis, ut puto, sat grauioribus *l. c. p. 87.* euictum dederit, Targum illud esse *Yron-Boduzator*, & diu post veri illius *Ionathanis* obitum conscriptum. Quare & *p. 94.* omnibus ponderatis circumstantiis existimat, diu post *Constantini M.* tempora a quodam Iudaeo partim ex *Hierosolymitano* & aliis illud compilatum, partim ex proprio ingenio confectum & specioso titulo *Ionathanis* divulgatum esse: quod ipsum minime *Iudaeorum* genus respuit, ut vel ex unico *R. Moise Leonis* exemplo patescit, qui *רמ"ל* aliquod *R. Mosi Ben Iochai*, summam inter suos auctoritatis Viro supposuit, de quo *Bartoloccius* in *Bibl. Rabb. in eius Vita*. Ex his iam colligitur, quanti isti *ionathanis* tribuendum sit, qui veri illius nomen tantum mentitur, praetereaque vero nihil habet tanto nomine dignum. Et qui sit, ut Iudaei anxii haereant, & vtrum *Henochus* ita nominandus sit, inter se digladiantur? Indicium certe aperitissimum, *Ionathanis* fidem non esse ita firmam atque tutam, ut quis indubitate eidem inniti possit. Nam si id vel firmiter tenerent, vel etiam *Ionathanis* paraphrasin esse crederent, nullum est dubium, quin penitus de rei veritate essent persuasi, quum alias *Targumim*, & in specie *Ionathanis* tanta profsequantur veneratione, quanta ipsosmet quidem *Libros Canonicos*. Necesse ergo est, ut *Pseudo* hic *Ionathan*, vel ab aliis fuerit seductus, vel ipse alios, *Henochum* ita nominantes seduxerit. Non tamen absque causa quis existimaret, fuisse eum cum aliis Iudaeis, ap. *B. Pfeiffer, de Henoch, c. 1. §. 7.* in ea mentis persuasione, quod *Henochus* ab excessu suo in *Angelum* euaserit; vnde cum legeret, *Metatron* Angelum nominari, *Henochum* eo venire nomine arbitratus est. Videt iam *Hulsius*, nihil hic pro *Henocho*, vt de *Melchisedeco* non dicam. Sed is in eo forsitan laet, quoniam *Metatron* Iudaei per *מטרוח* interpretantur. Posito tamen *Metatron* eundem esse cum *Henocho*, quid inde lucrabitur *Hulsius*: num ideo praecise dicendus est *מטרוח*, quia sub *Melchisedeci* persona in has reuerfus est terras? Quid si Iudaei hoc nomine indicare voluissent *Henochi*, quod ante translationem gesserat officium *Propheticum*? maxime cum de *Propheta* ea phrasis saepissime in *Scriptura*, v. g. *1er. XXI. 1.* adhibetur. Quid si eum ita vocassent ob secundum eius, quem praestolantur, aduentum? Existimant enim, quod vna cum *Elia* tempore redemptionis sit rediturus, id quod nos verba *Hiskuni I. Druso* in *Henoch, c. XLII. p. 17.* citata, edocent. Idque inde sibi quis persuadeat, quia ob datam a nobis rationem eodem titulo *Eliam* *Synagoga* saepius designat.

T A N T V M!

+++ +++

Aug VI 15



Sb.

Reho
VD 17
KD 18

1







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q. D. B. V.

53

55.

MELCHISEDECVM

AB HENR. HVLSIO

MINVS FELICITER

IN HENOCHO DETECTVM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO, ET ELECTO-

RATVS SAXON. HEREDE,

DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ERV DITORVM EXAMINI

SISTENT

PRAESES

M. JO. HERMANNVS von *Elstwich*

RENDESBVRGENSIS,

ET

RESPONDENS

ANDREAS ARGYREVS, Teschinio-Silesius,

S.S. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR.

AD D. XXVI. APRIL. A. *cl* *l* CCX.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.